

# The Digital *Viridarium consolationis* Project

## Pars 5: De aliis rebus Caput 6: De receptione munerum (2)

Isidorus:

Qui recte iudicat et premium inde retributionis expectat, fraudem ideo perpetrat, quia iustitiam quam gratis inpertiri debuit, acceptione pecuniae vendidit, et cetera require supra loco suo.

Quatuor enim modis pervertitur humanum iudicium, idest timore, cupiditate, odio, amore. Timore dum metu potestatis alicuius veritatem loqui pavescimus, cupiditate dum premio muneris alicuius corrumpimur, odio dum contra quemlibet adversari molimur, amore dum amico vel propinquo prestare contendimus. Hiis enim quatuor causis saepe equitas violatur, saepe innocentia laeditur, etc.

Qui recte iudicat et praemium inde remunerationis expectat, fraudem in Deo perpetrat, quia iustitiam quam gratis inpertire debuit acceptione pecuniae uendit.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.54.1 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.309, ll.2-4).

Quattuor modis iudicium humanum peruertitur: timore, cupiditate, odio, amore. Timore dum metu potestatis alicuius ueritatem loqui pauescimus; cupiditate dum praemio muneris alicuius corrumpimur; odio dum contra quemlibet aduersari molimur; amore dum amico uel propinquis praestare contendimus. His enim quattuor causis saepe aequitas uiolatur, saepe innocentia laeditur.

Isidorus Hispalensis, *Sententiae*, 3.54.7 (CCSL 111, P. Cazier ed., p.310, ll.23-28).